



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Venerabilis Patris D. Hludowici Blosii Abbatis Lætiensis Ordinis S. P. N. Benedicti Tomus Posterior Margaritum Spirituale

Blois, Louis de

Monasterii Campidonensis, 1672

§. VIII. Cogitationum norma.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45885](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45885)

*Spiculum SPI-  
RITUALIS.  
ad evi-  
tandum  
peccatū  
in detra-  
ctioni-  
b<sup>o</sup> & ob-  
scœni-  
tibus  
audien-  
dis.*

*Quinque  
sensus di-  
ligenter  
custodien-  
dū.*

jectione, aut gemitu, aut discessu, aut aliquo alio convenienti signo, tibi displicere ea quæ Deo displicent: & claude saltem interiores aures tuas, ne sermoni maligno consentias.

#### §. VI. SENSUUM CUSTODIA.

Magna omnino diligentiam custodire debes linguam tuam, & quinque sensus corporis tui, videlicet visum, auditum, odoratum, gustum & tactum. Vide ergo ne eis aliter utaris quam recta ratio permittit. Si enim loquacitatem amas, & sensibus dedituses, eorumque oblectamenta sine refrenatione sequeris; non poteris illum in veris virtutibus profectum facere, & gratiam Dei destituēris; nam ea per sensus veluti per rimas quasdam effluet.

#### §. VII. MORES ET GESTUS.

*Moribus  
& gesti-  
bus nemi-  
nem scan-  
dalizet.*

Sis in moribus & gestibus tuis placidus ac maturus. Si inter eos, cum quibus conversaris, exhibueris te tempore & loco ad honorem Dei moderatè hilarem, rectè facies. Observa sedulo, ne quem dicto aut facto culpabiliter scandalizes.

#### §. VIII. COGITATIONUM NORMA.

*Puritas  
cogita-  
tionum  
& mundi-  
cordia, cū  
remediis  
malarum  
cogitatio-  
num.*

Sis in cogitationibus & affectibus innocens ac purus. Quando pravam aliquam cogitationem, aut scdam imaginem, vel ineptam lætitiā in cor tuum il-lapsam esse, & impurum affectum

suboriri sentis: † erubescere, & celeriter simpliciterque inde te averte, reflectens mentis oculum ad Deum aut ad alia minimè noxia, vel etiam signum sanctæ salutiferæque Crucis tibi imprimens.

Adversus turpes propensiones, libidinososque stimulos carnis, non parum pdest cogitare, quanta sit vilitas, ac brevis carnis voluptatis, quantaque ipsius carnis corruptio. Quid enim est caro, quantumlibet etiam pulchra & elegans appareat, quid est nisi ster-cus, & putredo, & ingenitæ foetoris? Si detrahatur pellis illa tenuissima quæ magnam pulchritudinem præ se fert, jam ipsa caro tota deformis erit. Certè moriendum est, & post mortem caro erit cada-ver vilissimum.

Mirè etiam valet Salutatio Angelica piè lecta, & Sanctorum invocatio, metus item & horror amittendi gratiam Dei, diligens quoque consideratio, quidnam sit perpetuò separari à Deo & cunctis amicis ejus, atque cum diabolo æternis suppliciis in inferno affici. Facilius autem & felicius ipsum malignum spiritum prava suggerentem vincere solemus, si ejus immisiones tamquam muscas volitantes contemnamus, quam si multis rationibus ad illas respondere velimus.

† Brevia ista & utilia remedia contra malas cogitationes passim ab Adsceticis viis spiritualis ductoribus ac Doctoribus traduntur & commendantur.